



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

In catholica fide tuenda, & Apostolica Sede colenda. cap. 25.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

rales appellant: quæ quidem, exemplis typorum arte multiplicatis, per ecclesias promulgarentur, & per loca omnia disseminarentur. his vtebatur cum grauis inciderat causa, quâ obrem populi monendi, docendive essent, quod ad communem salutem pertineret.

In catholica fide tuenda, & Apostolica Sede solenda.  
CAP. XXV.

Quæ ad catholicam fidem tuendam pertinerent, summo studio curauit semper. decreta ipsa iu hoc genere sancita per se loquuntur; gesta que per eum, in Rhæris, Heluetijsq; tum alibi quoque, sicuti narrauimus, demonstrant. sed causarum, quæ ad fidem pertinentes, vel Mediolani essent, vel Romana auctoritate illi mandarentur, accuratissima tractatio itidem declarauit. libris importandis, edendisue, ne quid periculi fidei, vel moribus afferretur; religiosi, doctique hominis assidua cura prouidebat. Consultationibus earundem causarum ipse intererat: diligenter Romam, quæcumq; in eo genere opus essent, sua plerumque manu perscribebat. Præterea in vrbe Mediolano, tamquam in sublimi quadam specula collocatus, totam hanc Italiæ regionem alpibus viciniorem singulari vigilantia custodiebat. locus vero est ob proxima pluribus ex partibus pericula, satis opportunus: nam & Romani Imperatores hanc urbem quasi Italiæ propugnaculum, contra nationes transalpinas quandoque habuerunt. Ad Subalpinæ regionis custodiam, quantum eius consilia, atque actiones valuerint, huius loci, vel temporis non est explicare. Si quid vbique toto hoc tractu oriretur huius generis incommodi; prouidebat; Romam nunciabat. nam pij, & religiosi viri ex omni parte ad eum potissimum, quæcumque acciderent, tamquam ad rerum diuinarum, salutariumque vigilantissimum custodem, procuratoremq; diligentissimum omnia deferebant.

Cum militum Germanorum cohortes nonnullæ, donec alio vocaretur, essent in diocesi collocatæ: multorû impietatem ex publicis factis quibusdam odoratus, eò venit ipse; licentiam repressit; Gubernatorem monuit; litteras ad Philippum Regem dedit; malum auersum est. Apostolicam Romanam Sedem summo semper honore veneratus; eius dignitatem, auctoritatemque religiosissime tueri studiuit, & propagare. Apostolicis mandatis suscipiendis, promulgandis, exequendis; nihil apud se unquam ad honorem, atq; reuerentiam summæ sedi debitam deesse voluit. neque si opus fuit, fortitudinem suam passus est in hoc genere desiderari. ac litteras quidem Apostolicas cum acciperet, aperto prius capite, venerans osculabatur. Quidquid in priuatis, publicisque rebus non satis certum incidebat, considerandum, iudicandumque Romam deferrebat semper. Quæ illi, vt tali ecclesiæ Antistiti veniebant in mentem, quæ ad meliorem rerum statum Romæ fieri oportere putaret; ea modestissime supeditabat. pij homines plurimi, si quid rectius publice faciendum existimarent; ad eum referebant: quorum si quis immoderato seruiore commotus, paulum modestiæ fines transiret, grauiter reprehendebat: neque enim æquum iudicabat; vt vel ipso nimio pietatis ardore debita Principibus Ecclesiæ reuerentia pelleretur.

Ritus, & cœremonias ecclesiasticas exquisite cognoscere, seruareq; studuit: quo de genere certum sacerdotum numerum delegit, qui consultarent, cum dubitationis aliquid afferretur. nec vero grauabatur conrationi præesse, diligenterque de ijs quoque diu disquirere, quæ leuia sæpe vulgo putantur. nihil enim ad diuinum cultum pertinens, non dignum arbitrabatur, in quo curam, diligentiamque collocaret suam.

In ritibus, & cœremoniis obseruandis.  
CAP. XXV.